

nes, propter astrictionem vim, efficax: eandem ob causam stomachicis, cœliacis & sanguinē excreantibus conuenit. Sunt qui, addita rursum pari aquæ mensura, manantē deinde liquorem excipiunt: id quod tertio, quartō & quintō faciant, non item amplius: quando quod reliquum ab his est, aceſcit.

*De vino Catorchite. CAP. XLI.*

Catorchites, quod aliquibus sycites quasi ſicatū appellatur, in Cypro ſimiliter palmeo concinatur: ſed hoc intereft, quod in hoc præparando nonnulli pœ aqua recens preſorū vinaceorum diluti tantundem adiiciuntur. Sumuntur in hunc vſum cariæ nigræ, quæ chelidoniæ puniceæ ſeu purpureæ appellantur: atque macefantur, vti anteā dictū eft. Post dies decē liquor excipitur, atq; iterum ac tertio diluti vinaceorum par modus affunditur. Simili modo ſpatijs intercedentibus excipitur & quarta & quinta infuſio: qua ſimiliter aceſcēte, vice aceti vtūtur. Porro vinū eiusmodi tenuiū eft partiū: fatus gignit, ſtomacho adnervatur, & fastidiū creat: bona tamen facit aliū, & vrinā ciet: menses quoque trahit, & lactijs vberitatem præstat: at vicio ſum ſanguinem creat, & elephantiaſin infert, vti & zythū. Aliqui ſenis amphoris denos ſalis ſextarios adiiciunt: alij muriæ amphoram. Sic n. ægrius vitiari, & aluo ido-

neum reddi existimant. Alij etiam thymum & fœniculum in fundo substernunt, deinde que caricas componunt, atque ita vicissim, donec vas expleuerint.

*De vino è Sycomoris faclitio.*

CAP. XLII.

Fit & è Sycomoris vinum eodem modo, sed in acetum acre degenerat: quoniam non ita præualet vis eorum, ut manantis liquoris dulcedo retineri possit.

*De vino Resinato.* CAP. XLIII.

Resinatum vinum passim apud varias gentes factitari solet, sed plurimum in Galatia: quoniam illic præ frigore non maturescente sua vinum facile coacepsit, nisi picea resina conditatur temperetur. Tunditur autem cum cortice resina, & amphoræ dimidia hemina permiscetur. Aliqui, vbi efferbuit, excolant separantque resinam: alij eandem relinquunt. Hæc porrò vina vetustate suauia redduntur. Sed omnia capitis dolorem & vertiginem faciunt: concoctionem tamen adiuuant, & vrinam cident: destillatione vexatis ac tussientibus profundunt: item cœliacis, dysentericis, hydropicis, & fœminis vulnus fluore laborantibus: profundioribus exultationibus eadem infunduntur. Ceterum in hoc genere nigricans albo magis constraingit.

*De vino*

*De vino Strobilite.* CAP. XLIII I.

Strobilites fit, maceratis in musto strobilis recentibus & contusis, præbētque resinati effectus. Quod si quis strobilos musto præmaceratos decoixerit, abundē potum iis conduceat qui tabitudine conficiuntur.

*De Cedrino vino, &c alijs.*

## CAP. XLV.

Cedrinum, Iuniperinum, Cupressinum, Laurinum, Pineum & Abiegnum, simili ratione concinnantur. Arborum enim, dum fructus edunt, cæsam recens materiem assulosè diuidere, & Soli aut balneo, ignive ad mouere oportet, uti consudet, congiōque vi ni minam vnam permiscere, atque ita duorum mensium spatio finere: tūm demū transfundere, Soli exponere, tandemque recondere. Porro factitiorum huiusmodi vinarum vasā impleri debent: nanque illa nō expletis vasis acescunt. Nihilominū medicata vina recte valentibus handquaquam idonea. Cæterū isthac omnia excalfaciunt, vrinam cident & leuiter astringunt. Laurinum tamen vehementius excalfacit. Fit quoque vinum è Cedri maioris fructu, in vnum musti congium addito baccarum contusarum minæ semisse. Sed diebus quadraginta insolari, ac iis exactis, defaciatū in vase transferri debet.

M m. j.

*De Juniperino vino.* CAP. XLVI.

Fit & è baccis Juniperi, similiter vt è cedri fructu, & ad eadem valens.

*De Cedrite.* CAP. XLVII.

Cedrites hoc modo fit: Cedriam dulci aqua lauant, & singulas amphoras singulis cyathis proluunt, & ita musto replent. Hoc quoque vini genus excalfacit, attenuat, tussi antiquæ citra febrem vtile, necnon & pectoris laterumque doloribus, torminibus, ac ventris & intestinorum ulceribus, purulenta excreantibus, hydropticis, & mulieribus vuluæ causariis. Facit & aduersus lumbricos atque rigores; contra venenatorum morsus auxiliatur, ac serpentes necat: aurijum deniq; doloribus instillatum medetur.

*De vino Picato.* CAP. XLVIII.

Vinum Picatum ex liquida pice & musto temperatur. Picem autem primum marina aut muria tantisper eluere oportet, dum inalbuerit, & sincera maris aqua defluat: mox aqua dulci iterum proluenda. Tum in cogios octo musti additur vncia picis una aut altera, atque ita finitur. Post ubi effervuerit atque subsederit, in vase diffunditur. Hoc genus vini excalfacit, concoctionem adiuuat, abstergit atque purgat: proindeque vtile doloribus pectoris, alui, iocineris, lienis & vuluarum, si sine febre sint, itemque veterib; rheumatismis

& pro-

& profundis exulcerationibus. Est & efficax  
contra tussim, tardam concoctionem, infla-  
tiones & anhelationes: luxatis denique, præ-  
sertim in succida lana, imponitur.

*De vino Absinthite.*

CAP. XLIX.

**A**BSENTHITES variè conficitur. Ali-  
qui enim in duodequinquaginta sexta-  
rios Italicarum amphorarū additā absinthij  
Pōtici librā decoquūt ad tertias partes. Dein  
vbi insuper affuderint sex musti sextarios, &  
absinthij se libram diligēter permiscuerint,  
in vas diffundunt: cūmque subsederit, excor-  
lant. Alij absinthij minam tusam & linteo-  
lo raro deligata in multi amphoram de-  
mittunt, inibique duobus mensibus macera-  
ri patiuntur. Alij absinthij quadrantem  
trientē in ve, & nardi Syriacæ, cinnamomi,  
cassiae, floris iunci odorati, calami & palme  
elates singulos sextantes priūs in pila tusos  
in musti metretam coniiciunt, & obstructo  
vasis spiraculo duūm triūmve mensium spa-  
tio diuittunt, tandemque defæcatum vinum  
transfundunt ad usus. Sunt & qui in mu-  
sti cadum addant nardi Celticæ vncias  
xiiij. & absinthij vncias xl. linteo illigatas:  
post quadragesimum vero diem elutriant. A-  
lij denique in viginti musti sextarios absin-  
thij libram, & resinæ pini siccæ sextantem  
immittunt, & post dies deceim vinum ex-

Mun. ij.

colant atque recondunt. Utile est stomacho;  
vrinam cit: tardam' concoctionem accelerat;  
hepaticis, nephriticis, regio morbo laboran-  
tibus, cibum auersantibus, & stomacho ina-  
lè, affectis auxiliatur. Valet & contra diu-  
turnam hypochondriorum distentionem,  
inflationes, teretésque lumbricos & remora-  
tos menses. Denique prodest & contra hausta  
ixiæ venena, maiore copia potum, identi-  
démque vomitione redditum.

*De vino Hyssopite.* CAP. L.

Hyssopites è Cilicio hyssopo maximè lau-  
datur, sitque haud secus arque absinthites.  
Scilicet foliorum hyssopi tuforum libra lin-  
teo raro inuoluta in amphoram musti con-  
iicitur. Intra linteolum verò simul etiam  
iminitiuntur lapilli, ut degrauatus pondu-  
sculo fasciculus sidat, petatque fundum. Vi-  
num post xl. dies defæcatum elutriatur. Con-  
tra pectoris, lateris & pulmonis vitia, vete-  
rem tessim & anhelationem prodest. Vri-  
nam quoque cit: atque torminibus febrium-  
que rigoribus circuitu redeuntibus auxilia-  
tur, ac menses denique mouet.

*De vino Chamædryite.*

CAP. L.I.

Chamædryites simili quo hyssopites mo-  
do fieri solet. Excalfacit atque discutit, i-  
deoque convulsis, regio morbo, vulnæ infla-  
tioni-